

vel *Rabbinica*, quae vbiq̄ue hodie praeponderat, et traditiones talmudicas Scripturae S. vbiq̄ue praefert, qua de vniuersim ANT. MARGARITA, IO. BVXTORF, ANT. HVLSIVS, IO. HOORNBECKIVS, IO. MÜLLERVS, et alii.

*De Theol. Turcica.* §. 7. Theologia *Turcica* mixtura est ex gentili, iudaica et christiana Theologia. Quare peculiarem speciem non constituit. Eius norma Al-Coranus est, qua de D. DANNHAVER et IO. ERN. GERHARDVS, GEBH. THEOD. MEIERVS, MICH. FABER in *theatro turcico*, alii.

*Definitio Theol.* §. 8. Theologia est habitus intellectus practicus de DEO, rebusque, ad salutem animae, pertinentibus, ex DEI verbo deductus, hominem peccato infectum, et hinc variis miseriis, ipsique aeternae damnationi obnoxium, ad aeternam beatitudinem perducens.

*De genere definitionis nempe habitu.* §. 9. *Genus* in hac definitione *habitus* est. Ita enim Theologia expresse vocatur Hebr. V, 14. et natura habitus ei competit, qui est qualitas crebris actionibus comparata. Vtrum vero sit habitus *theoreticus*, quod ex Scholasticis ii statuunt, qui summum bonum in speculatione potius, quam in praxi consistere putant, an *practicus*, quod ex Theologis nostris hodie plerique asserunt, an vero ex vtroque mixtus, inter Theologos haud conuenit. Controuersia est mere Scholastica, neque eius decisio, ad vllam Theol. partem rectius percipi-